

QR.429, 3^a

X 1880 985

B. m. I, 787

II m
747

DE

CALENDIS,
CALENDARIOQVE

Romanor. Veter. & pervulgato nostro,

ALMANACH,
MUNERIBUS VOTISq; item,
solitis offerri,

different

In Auditorio Majori VVittebergæ,

PRAESES,

GEORG. C. KIRCHMAJERUS,

Orator. P. P. Ordinar. Academiae q; Senior,

Et RESPOND.

JO. CHRISTOPH. EBERHARDUS,

Cranzahl. Misn. S. S. Th. Stud.

Postridiè Kalend. Martii, sequent.

HENDECAËMERON ejectum,

Anno Aerae Christianae, c l o l o C



WITTEBERGAE,

Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

HENDECAËMERON,

ad memoriam

Defultorii Anni maximi,

clo. lccc.

Nlli Orbis dominæ, Urbiumq; *Romæ*
Arrisit, celebrare Jubilæum,
Sacras mittere Epistolæ tabellas,
Invitare Ducesq; Principesq;
Ad solenne sacrum. Quibus cuculli

Nec non Pontificis remissiones,
Bullæ scilicet, ære comparandæ,
Placent; convolitant, emunt, adorant.

O vanissima spectra Clericorum!

Jam quid Maximus Imperator, Orbis

Augustus, LEOPOLDUS, Ordinesq;

Romani Imperii, exteriq; Reges

Parant? HENDECAËMERON calando,

Fastis ejiciunt; ut apta Festo

Dies Paschatos, haud Cyclis, recurrat.

Vos in sideribus notate lucem!

Vos, quos diva Mathesis ornat, urget!

Et vos, *Hendecasyllabos* Poëtæ

Cantando, celebrabitis decorè

Magnorum spaciofa seculorum

Hæc solemnia! febrando nempe

Errores veteres! aveto *Mart!*

Hoc unum potuisse pervidere,

Plus est, quàm properasse septicollis

Ad *Romæ* penitissimos recessûs.

A 2

B.C.D.

B. C. D.
CAP. I.
DE CALEND. atq; CALENDAR.

§. I.



Alendas à *calando* *Latinorum*, hoc à *καλεῖν* *Græcorum*, per *ἀντίστοιχον*, vocando, derivari, notum. C. & K. elementa *εὐμετέβληται*; hinc *Carthago*, *Cæsar*, *Carolus*, cum K. pari jussu ambulant. Radix primitiva repetenda ab *Hebraeor.* *כֶּלֶךְ* & voce *הִיךְ*. Conf. *Eduard. Leygb.* in *Critic. Sacr.* Kalendas interim non habuere *Graeci*: quod parœmiali dicto constat. Lexica *Latino-Græca* tamen præferunt *καλάνδας*. Inde nomen, *Kalendarium*; quod *adjectivè* sumitur pro eo, quod à *Calendario* dependet. *Kalendarium* h. m. sacrificium vocari legimus in veterum memoriis; quod obire moris fuit in Kalendis. Invenias & *Calendaris*, e. Ad hunc sensum *Kalendaris Juno* dicitur, quæ à *Laurentibus* sic appellata est; quod *Kalendæ* illi sacræ omnes: ut in *Saturnal.* i. c. 15. docuit *Macrobius*. A mense *Martio* nimirum ad *Decembrem*, deæ illi supplicabant *Calabri* in *Curia*; sacrorum *Rex*, aut *Regina*, porcā agnamvè *Junoni*, in *Regia* immolabant. *Ausonie* *Kalendæ* audiunt *Ovidio*, *Fast.* i. ii. *Substantivè* aliàs κατ' ἐξοχὴν (1) pro *Rationario*, vel *hemerologio*, dierum omnium, distributorum per unius anni menses, atqve septimanas. (2) Pro *libro fœnebrī*, in quo usuræ notabantur, petendæ in *Kalendas* singulas, & exsolvendæ, vor ein *Zins-Register*. Pluries hâc notatione usus *Seneca* in *Epistolis*, & in *Beneficiorum* lib. 7. c. 10. *Quid fœnus, & Kalendarium, & usuræ, nisi humane*

*manæ cupiditatis, extra naturam, quæ sita nomina? Idem-
que i. de benef. 2. Beneficiorum simplex ratio est; tan-
tum exigatur, si reddit aliquid, lucrum est: si non reddit,
damnum etiam est. Nemo beneficia in Kalendario
scribit.*

§. II. A calando *Calatores* orti. κλήπορες, ἐκβί-
βασαι, καὶ ἱερῶν ὑπίπολοι, δημόσιοί τε δῶλοι audiebant. Qui,
etsi libertini erant, servi tamen publici habebantur.
Talis extitit *Cornelius Epicadus*, Calator, & Grammati-
cus illustris. Vid. hūc *Sveton.* de Grammat. illustrib.
& *Gellius* 15, 27. Noctib. ex *Labeone*. In Semestrium 2.
p. 327. de *Calatoribus* testatur *Petrus Faber*, dimidiā te-
stamenti faciendi parte jus ipsis constituisse. *Barna-
bas Briffonius* autor est, de formulis, i. Calatores hos
præclamitatores, *pretiamitatores* à *Pomp. Festo*, à *Servio* Ca-
latores, à *Macrobio præcones*, à *Plurarch. κίσηκας* voca-
tos. Igitur *comitia calare*, idem sibi vult, ac convoca-
re. Comitiorum olim tria genera, quæ postea nomi-
nabantur *Curiata*, *Centuriata*, & *Tributa*; an & *Calata*?
Sanè. Ita *Gellius* ex *Lalio Felice* scribit: *Primum omnia
comitia calata dicta: horum alia fuisse Curiata, alia Cen-
turiata &c.* Postmodò retentum nomen *Calatorum*, in
his tantum, quæ habebantur in collegio *Pontificum*, aut
Sacrorum Regis, aut *Flaminum inaugurandorum* gratiâ.
De posteriori hoc respectu loquitur *Theophilus* 2. *Instit.*
J. Duo erant apud veteres *Testamentorum* genera; unum,
quod *Calatis comitiis* fiebat; alterum, quod in *procinctu*.
Tertium, per familiæ emancipationem, *Gellius* lauda-
to loco memorat. A calando est *intercalare*; quod
potissimum ἐμβάλλειν, (unde & ἐμβολιμαῖος & ἐμβόλι-
μος) *intercalaris*, aut *intercalarius*, vel dies, vel mensis ori-
tur,

tur, vel annus,) interserere, interponereque, latius differre, notat. Sed quid ille sibi locus *Ciceronianus* vult pro *Sextio*, de *Calatis granis*, atq; *Calatinis*? Accusando se excusat in hoc exponendo, 20. *Adversarior.* 3. *Turnebus*; Quem, ne prolixiores simus, consule. *Calare grana*, pro colligere, dixerunt veteres; à granis his *calatis Calatini* dicti, (veluti à *fabis Fabii*, *Lentuli à lentibus*,) adjuncti *Laliis*.

§. III. Ad *Synonymiam* *Calendarii* referri solet, *Almanach*; quod nominis explicaturi sumus mox; si de *Fastis*, *Adversariis*, *Tabellis*, *Ephemeridibus*, nonnulla præmiserimus. Ac *Fastos* quidem, atque *Fastus*, librum quondam appellabant illum, in quo (1) describebantur *Consules*, eorundemque acta. Ad quem sensum *Claudianus* respicit in *Consulat. Probi & Olybrii*, extr. vers.

Longaq; perpetui ducent in secula fasti.

Et *Silius* lib. 2. v. 10.

Ausonios, atavo ducebat Consule, fastus.

(2) In quo festorum observatio dierum continetur: *Almanach*, & *Calendarium* hâc notione venit. Fallor? an hoc modo capiendus locus est *Svetonii*, in vita *Cæsaris Tiberii*, c. 5. *Natus in Palatio XVI. Kal. Decemb.* Sic enim in festos actaq; publica relatum est. Sed & ille, ap. *Flor.* l. 1. c. 13. *Non temerè fœdior clades. Itaque hunc diem fastis Roma damnavit.* Pertinent hûc *fasti*, *nefastiq;* dies. Isti dicti, quibus, sine piaculo, *Prætoribus* licebat tria verba fari: *Do* (actionem,) *Dico* (jus) *Addico* (aliquid edicto, vel sententiâ,) his enim tribus *jurisdictio* continebatur; juxta *Turneb.* Adv. 30, 35. & *Barn. Briss.* 5. de *Form.* Hinc & *Ovidius* *fastor.* 1.

Ille

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:

Fastus erit, per quem Lege licebit agi.

Ἡυσπας ἀποφασίδας, ab ἀπο negante, ac τὸ φασίδας, nefastos salutârunt Graeci. Glossario nefastum ἀπύπτον, five inauditum est. Pro atro & inauspicato Gellius usurpat, 4, 9. N. A.

§. IV. *Adversaria & Calendaria* accipiendâ pro iisdem monuit in *Lectiōibus* antiq̄. *Rhodiginus* lib. 12, c. 21. Sed *Adversaria* ex eo dicta statuit *Budeus*, quod adversâ parte, atq̄ve per transversum implerentur, scriptis. Veteres solebant enim scribere ex parte tantum altera. Hinc *Epistolographos* utrinque scriptos libros nominabant. Differentiam inter *Tabulas & Adversaria* ostendit *Cicero*, pro *Roscio Comædo*: Non habere se hoc nomen in *Codicem adepti & expensi relatum, confitetur*; sed in *Adversariis* patere contendit? -- Quid est, quod negligenter *Adversaria* scribamus? quid est, quod *Tabulas* conficiamus diligenter? quâ de causa? Quia hæc sunt *menstrua*; illæ sunt *æternæ*. Hæc delentur statim; illæ servantur sanctè. Hæc parvi temporis memoriam; *Tabula* perpetuæ existimationis, fidem & religionem amplectebantur. Hæc sunt *conjecta*; illæ in ordinem confecta; in *judicium Adversaria* protulit nemo; *codicem* protulit, *tabulas* recitavit. Addimus & *Ephemeridem*, quæ, *Buchneriano Fabri Lexic.* inter alias significationes, *Calendarium* etiam *diurnum* designare dicitur; ein *Tagebuch* / *Calendar*. Etsi enim in plurali *Ephemeridum* h. t. communiter fit mentio, ἐπιμερίδες, id tamen *Commentarium* in singulari, apud probatissimos *Scriptores* notat. *Quinctium* ad *Ephemeridem* reversum, *Cicero* testatur in *Orat.* quam pro ipso habuit. *Ausonius* corpusculum eorum carminum, diurnos actûs, quod complectitur, voca-

vocavit *Ephemerida*. *Cornelius* item *Nepos Attico*, c. 13. ex *ephemeride expensum ferre solitum*, pro sumtu dixit. Commentarium diurnum, quo sermones atque dicta annotabant veteres, *Suetoniano*, in *Augusti* vita, loco, c. 64. intelligendum esse, *Casaubonus* docuit.

§. V. Nunc denique excutiamus *ALMANACH*. Compositam hanc vocem minimè deberi *Græcis* (ut existimârunt *Scaliger* *Josephus*, *Claud. Salmas.* in, de *Annis Climact.* *Becmannus* pariter in *Origg. L.L.*) à *μαναχῶ*, aut *μαναχῶ*, vel *μνιαιῶ* derivantes; sed *Arabibus* in solidum, fatemur liberè. Lis quidem nulla de *Articulo*, *Al*, *Arabico*; quemadmodum in *Alcbymia*, *Almagesto*, *Alem-bico*, *Aldeboran*, aut *Alcoran*; sed de nomine adjecto. *Hebræorum* usitator vox מנחה æquè *donum*, sive *munus*, & oblationem vespertinam signat; radix tamen perit; servata ab *Arabibus*. Descendit ergo *Almanach*, ab Arab. radice *منح* donavit. Donum Regi quippe offerendum erat (primùm) sub auspicia *Anni*. *Etymon*, post alios, hoc *Golius*, *Erpenius*, *Pocockius*, *Castellus*, *Velschius*, (ὁ *σῆν*, olim noster, in *Ruzname Navrus* *Commentar.* p. 89.) in *Tabulis* & *explicationibus* *Arabiar.* voc. fusiùs ac scitè confirmârunt. Sic *Consulibus* initio *Annorum* mittebantur munera, Romano more etiam; qui, uti strenuè rem gerent, auctoritatem *Populi R.* & illius *Majestatem* conservantes, captato à *Virorum* strenua virtute, omine, auspiciū vocabuli augentes, munera ipsa appellârunt *strenas*. Rem hanc innuit *Metellus*, *Monachus Germanus*, qui ante millesimum, ampliusqve, annum *Christi* *Poëmata* præclare multa scripsit, *Carminè V. Quirinalium*:
Strene

*Strena præterea nitent Plures aureola, munere regio,
Olim Principibus probis, Jam Principis auspicio data.
Fausto temporis omine, Ut ferret Ducibus strenua strenuis
Annus gesta recentior. Illas Nobilitas Cesaribus piis.
Rex dignis Procerũ dabat.*

Addit eruditè postea originem, & ex Antiquitatis fonte ultimo. Consentit *Symmachus* l. X. Epist. 28.

Urbi, quas Latii tum juveni dedit

Rex Titus Tatius prior

Festos accipiens paupere munere,

Verbenas studio Patrum.

Sollers posteritas, quas creat aureas,

Servant dona tamen nota

A luco, veteri nomine, Strenua.

Consulatur *Barthius* in *Advers.* 53, 12. ubi plura alia de superstitione strenas missitantium, Kalendis Januariis.

CAP. II.

DE

MUNERIBUS & VOTIS.

§. I.

Quantum ad Philologiam, maximè Romanam, operæ contulerint *JCti* excellentiores, longum foret, percensere. Ordo nullus, nulla Sapientum dignitas plus contulit ad vocabulorum omnis generis origines, his Viris, & significationes. De Muneribus & Votis argumentum præsens testimonium, ut *Nepos* ait, in *Epaminonda*, satis erit. *Muneris* originem petendam ex *Hebræo* fonte מנהג suspicatus est *Becmannus*; quem etsi non alleget *Eduardus Leigh*, in *Crit. Sacr.* sequitur

B

tur

tur interea, & fufius exponit, p. 223. feq. Sola deeft li-
 tera θ pro π fubftituenda, ut *cb* pro *s* formetur; alio-
 quin omne, quod ad variam acceptionem in *Latina*,
 voce pertinet, *Hebraea* pariter refpondet. *Minchab* e-
 nim *munus*, *facrificium*, *oblationem*, *donum Deo debitum*, fi-
 gnificat. Sic quoque *Mus* in Comment. ad *Pfal.* 20, 4.
 Adeò non opus, ut à *Græco* $\mu\epsilon\nu\theta$, *folus*, *unicus*, *Poëti-*
cèq; $\mu\epsilon\nu\theta$, *derivemus*. Judicent, qui poffunt, veramné
 expreflerit originem *Tertullianus*; quem ex libro de
Speftaculis, c. 12. laudavit *Berneggerus* inclytus: *Ab offi-*
cio, inquit, *dictum munus eft*, quoniam etiam *muneris nomen*
eft. *Officium autem mortuis hoc fpeftaculo facere fe*, *veteres*
arbitrabantur &c. *Nam olim*, quondam *animas defunctorum*
humano fanguine propitiari creditum erat; *captivos*, vel *ma-*
lo ingenio fervos mercati, in *exequiis immolabant*. *Postea*
placuit impietatem voluptate adumbrare; itaque quos *para-*
verant, *armis*, quibus tunc & qualiter poterant *eruditos*, *mox*
edicto die inferiarum, apud *tumulos erogabant*. *Hæc mu-*
neris origo.

§. II. Ambiguitatem evolventibus non confun-
 denda *munera*, cum *munis*. (iorum) Plurativè hæc
 officia folummodò ac debita, h. e. *Ambt und Pflicht*
 designant. Sic obire *munia* alicujus, *eines feine*
Stelle vertreten/vulgò dicitur. Nos *munera* respi-
 cimus; de quorum varia notatione l. 18. agitur, ff. de V.
 S. *Munus* tribus modis dicitur: uno *donum*, altero *onus*, ter-
 tio *officium*. Conf l. 194. ff. de V. S. & l. 6. circa fin. ff. de
 Offic. Proconf. Ubi *munus* à dono feperatur, tanquàm
 genus à fpecie: quantumvis $\omega\varsigma$ $\epsilon\nu\pi\lambda\acute{\alpha}\tau\epsilon\iota$ hoc intelli-
 gendum, ut accuratiffimè obfervat *Valla*. *Paulus* lib.
 9. ad *Edictum*: *Munus*, ait, *tribus modis dicitur*, uno *donum*,
 & *inde munera dici*, *dari*, *mittidè*: altero *onus*, quòd, *cùm*
remit-

remittatur, vacationem militiae munerisque prestat. Inde immunitatem appellari: tertio officium, unde munera militaria, & quosdam milites munifices vocavi. Ceterum Jcti id munus esse volunt, quod cum magna dignitate conjunctum non est, sed cum sumtu. l. Honor. D. de munerib. Sic illi: quid Donatus in Eunuch. ad Terent. Act. 5. sc. 8. Donum, inquit, premium est: & munus premium. Sed donum premium Diis datur: munus premium hominibus. nam separatim donum Deorum est, premium Virorum fortium; munus hominum. -- Donum & munus voluntarium: premium debetur. Jctos inter se commisit plures Valla, 6. Elegant. 39. nec pessime. De Martiano speciatim: Munus proprie est, quod necessario subimus, lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem. Dona autem proprie sunt, quae nullam necessitate, jure, officio, sed sponte praestantur. --- Sed in summa, in hoc ventum est, ut non quodcumque munus, idem donum accipiatur: at quod donum fuerit, id recte munus dicatur. &c. Munis, immunis, municeps, immunitas, munificus, quid sibi velint? Lexica docebunt. Munes olim, (ut hoc unicum adjiciamus ex Gentili Scipione, singulari ad Pand. libro,) amici dicebantur, qui in unum consensum mutuis conspirabant animis. Unde Lucilius 26. ap. Nonium: Munifices munesque amicis nostris videamur viri. Immunis autem, quasi non munis, dictum est.

§. III. In vitis & historia Caesarum occurrunt loca passim plurima spectaculorum munerumque publice exhibitorum; qui annorum longam serie duravit mos. Adjecit Caesar (Julius, Svetonii sunt verba, c. 10.) munus etiam gladiatorium, sed aliquantulum paucioribus, quam destinaverat, paribus. Spectaculum appellat munus; ludus autem erat, qui pro munere dabatur populo: & hoc oblectamenti genere, ut quidam munere, capiebatur.

Erat autem ordinarium & perfamiliare; ut honesti spectatæq; vitæ homines, ipsæq; etiam fœminæ, producerentur ad pugnandum. Ad scenicorum operas *Equitibus Romanis* aliquando usum *Cæsarem Octavianum*, *Tranquillus* tradidit. *Neronem* senes quoque Consulares, juvenes, matronas item anûs recepisse, constat. Idem, *Xiphilino* teste, homines primarios, fœminasq; ludis & muneribus adhibuit; nec tantum ex *Equitibus*, sed Senatorum simul ordine; qui, quæque descendebant in arenam, circum, fabulas agebant, cytharâ canebant, eqvos agitabant, bestias conficiebant, gladiatorumque more depugnabant. Prolixissime hoc persecutus argumentum est *Consiliarius & libellorum Regis ordinarius Magister*, *Senatûs Tholosani Præses*, *Petrus Faber* in *Semestr. 2. lib. 20. p. 125. seqq.* ad fin. usque; ut ulteriori operâ superfedere nobis liceat.

§. IV. Ad vota properamus potiùs. In solo voti quoq; nomine thesaurus latitat multiplicis scientiæ. Sistamus loca aliquot *Inscriptionum Veterum*; scrutemur ritûs; vocem eruamus priùs.

Inscriptio Vetus.

IISDEM. COSS. III. NONAS. JANUAR.
SULPITIUS. CAMERINUS. MAGISTER.
COLLEGII. FRATRUM. ARVALIUM.
NOMINE. VOTA. NUNCUPAVIT.
PRO. SALUTE. NERONIS. CLAUDI.
DIVI. CLAUDI. F.

Appii, in pugnae medio discrimine, interq; prima constituti signa, manibus in Cœlum sublevatis, votum fuit; ut *Veterior Inscriptio* hæc docet:

BEE-

BELLONA. SI. HODIE. NOBIS. VICTORIAM. DUIS.
AUT. * EGO. TIBI. TEMPLUM. VOVEO.

* i. e. vicif-
sim, certò.

Coniectus in fugam è *Sabinis Romulo, Statori Jovi*. Tem-
plum vovit. Hinc *Veterrima Inscriptio*:

TU PATER DEUM HOMINUMQUE HINC
SALTEM ARCE HOSTES DEME TERRO-
REM ROMANIS FLUGAMQUE FOEDAM
SISTE. HOC EGO TIBI TEMPLUM JOVI
STATORI QVOD MONUMENT. SIT PO-
STERIS TUA PRÆSENTI OPE SERVA-
TAM URBEM ESSE, VOVEO.

§. V. Nuncupare autem vota, vel vovere, atq;
solvere, aut persolvere, diversa sunt; ut antecedens
& promissio, à consequente ac eventu executionis dif-
fert. תְּפִלָּה *Hebrais, Grecis εὐχή*, plus, quàm *optatio, La-*
tinis votum est. Exquisitissimè *Scaliger* de *Subtilit.*
Exerc. 310. Sect. 1. Optatio affectus est, hætenùs præteritus
à Philosophis. Est enim aliud à voto, quod ad aras, aut in
periculis, contentiore voce populi fundebant preces Diis suis;
וְדָגַל וְבֹאֵן. Votum igitur, ut aliquid ex antiquorum riti-
bus acutè dicamus, est provocatio Deorum, ad beneficia. Da-
bant enim, aut pollicebantur, ut acciperent: pocillum vini,
aut mulsi, ut *Mezentius Jovi, si vicisset.* Votum proprie
est sponsio, quâ Deo obligamur; sicut *Cicero* de *LL.* de-
finit. ηὐχὴ enim & κτεῖνος seria voluntas, animò
spontaneo concepta, ac pollicitatio, agenda rei alicu-
jus causâ: propiùs accedit ad ἀνάθεμα *Græcorum, He-*
braeor. חַרָּם, quàm ad נֶדֶר tantùm. Unde capias εὐχὴν *Paul-*
ullini voti, pro salute *Israëlis*; *Rom. 9, 3.* devoentium-
que se, ad occidendum *Paulum*; quorum mentio in

Apostolor. actis fit; c. 23, 14. Quanquam sine differant hæc invicem. Optare, nudum est eligere cum desiderio. Ab hoc, optatum, *optatissimum*, concisius per syncopen, fit valdè bonum, *optimum*.

§. VI. Pro victoria exercitûs, pro vita valetudineque Principum, Imperatorum, ægrotantiumque personarum, vota publicè nuncupabantur, aut Imperii æternitate. *Livius, Tranquillus, Tacitus*, & plures, plurima exempla referunt. Ostendit *Plinius Epist. 44. ad Trajan. l. 10. Diem, Domine, quo servasti Imperium, dum suscipis, quantâ mereris, lætitiâ celebravimus; precati Deos, ut Te generi humano, cujus tutela & securitas tua salutis commissa est, incolumem florentemq; præstarent.* Nec solummodò Natales, sed Kalendas quoque Januar. inaugurabant votis & mittebant munera. Exemplo fit, L. singular. Codd. *Theodos. & Justin. de Oblat. Votor.*

Codex Theodosianus.

Quando votis communibus felix annus aperitur, in unâ librâ Auri solidi septuaginta duo obryziati Principibus offerendi devotionem animo lubenti suscipimus. Statuentes, ut deinceps sequentibus Annis uniuscujusque sedulitas Principibus suis talia ingerant semper & deferant. Dat. III. Nonas Martii, Med. Olyb. & Probino Coss.

Codex Justinianèus.

Impp. *Arcad. & Honor. A. Basilio P. U.* eadem inculcant; nisi quòd in singulari rectiùs *talia inferat, & deferat*, expresserint. H. l. diem III. Non. Januar. Augusti, quando votis communibus annus aperiri dicitur, designant.

signant. Factum hinc, ut à votendi actu hoc so-
lemniori nomen ipsum etiam in diem illam, (quæ
κατ' ἐξοχήν appellabatur, VOTA,) iret. Observavit
hæc ex *Tacito Vopisci, Spartiano, & Gutherio, Job. Strauchius,*
JCtus, de Votor. oblat.

§ VII. Vidimus votorum nuncupationem;
quomodò suscipiantur, fiant, & concipiantur? nunc &
eventum, quomodò cum precibus muneribusq; per-
solvantur, offerantur, aut reddantur? videamus.
Diis meritis merentibusvé, addere solebant, veteres paga-
ni. Sic Ovid. Trist. 4. El. 2.

Munera det MERITIS sæpè datura DEIS.

Hinc in notis singulariis V. S. L. M. *Votum solvit lubens*
merito. Votivos, pro salute etiam *Augusti*, ludos factos
Plinius commemorat, *Hist. N. l. VII. c. 48. conf. & Sve-*
ton. Aug. c. 59. Qui autem vota persolvebant, monu-
mento posito, donario in Templum item misso, ea se
solvisse testabantur, literis prædictis. Cujus generis,
innumera exempla in Lapidibus occurrunt Romano-
rum. Unum cape: JOVI CONSERVATORI ET
JUNONI SANCTÆ SACRUM, CAJUS PLETHO-
RIUS C. F. V. S. L. M. Scribebant etiam: VO-
TO SUSCEPTO LIBENS LUBENS POSUIT.
Philipp. Car. ad Curt. Animadvers. X. Inscriptionem vo-
ti memorabilem, æstate proximè elapsi anni vidimus
in habitato atrio Illustris Viri, Evergetæ nostri, Dn.
Job. Georgi Gravii; cum Ultrajecti versaremur; alibi, ab
aliis, expositam.

§ VIII. Superest, ut pauca denique, de vocis
Etymo adjiciamus, atque efficacia. A *volo votum*, quasi
Voli-

95
11m
749

volitum, Spanbemi^{us} *VVigandus* petit. Cur non planè
à volando, aut volatu? Meliusculè in Originib. L.L.
votum repetit à *voveo*, *Becmannus*. τὸ vovere verò i-
psi, quasi *ve avere*, (quod est valdè, ut *vegrandis*, *Vejo-*
vis &c. vocatur. Rectè tamen acquiescit in *Scaligeri*
sententia; ut deducatur ἀπὸ τῆς βοᾶς, clamando. Voce
enim contentissimâ cum precibus nuncupabatur vo-
tum. Nec *vociferor* duntaxat, sed & *celebro* significat
βοάω; pro quo, & βωτῶ invenias apud *Herodot.* eodem
sensu. Rectè votum ponitur pro *sponsione*, aut pro-
missione Deo facta; rectè dicitur de *serio obsequandi a-*
nimo propositoq; ; rectè insuper de *nuptiis*; quo sen-
su *Tacitus* de *Germ. mor.* cum spe *votoq;* transigere *uxo-*
ris: Malè pro *suffragio*, wann man in Collegiis her-
umb votiret. Pessimâ Latinitate ponitur *devotio*, pro
pietate singulari, & *devotus*, pro ardentius religioso:
nec errantium multitudo patrocini^{um} errori parit.
Sed hæc alibi uberius sunt castigata. Conferat, qui
volet hæc & talia, insignis *Viri, Præsbii, Commenta-*
riolum de Barbarismis. Solvimus nos vota
DEO, gratias immensas!



WMA

M.F.



DE
 CALLE
 CALENDAR
 R. GIBSON, V. G. & C.
 ALMA
 MUNNERS
 JOHN C. KIRK
 Oration P. P. Ordinar.
 JO. CHRISTOPH.
 Anno 1783
 Dis. CHRISTIANI JOH.

